

- 6 Interrogatus de aliquo facto, quem novit, si dicat se nescire, est falsus, si taceat dicitur fraudulentus.
- 7 Negligens non est qui non respondit, quando non interrogatur legitime.
- 8 Extrajudicialiter interrogatus, tacendo veritatem, non est negligens, & si diceret se nescire, mendax est.
- 9 Interrogatus à Superiore extrajudicialiter, non ad effectum infligendi poenam, sed pro bono regimine, & ut possit dirrigere suas actiones in eligendo Ministros, Officiales, in evitanda scandala, & mala, quæ contingere possunt, tenetur veritatem sincerè aperire.
- 10 Negligens aperire veritatem Superiori, sic interroganti, majori culpa, & poena reus est, quam si negligeret Sacris Canonibus parere.
- 11 Affertur ratio per quam testis extrajudicialiter interrogatus, teneatur veritatem aperire.
- 12 Cum Superior Ecclesiasticus teneatur inquirere de vita, & moribus eligendorum ad beneficia, ad ordines &c. habet Jus interrogandi.
- 13 Testis sic interrogatus, omittens sincerè dicere veritatem, peccat mortaliter, quando interrogatur pro causa gravi.
- 14 Episcopus habet Jus inquirendi de Subditis, pro bono animarum regimine.
- 15 Parochi Diocesani interrogati ab Episcopo, qualiter se gerant Concionatores, qui ad eos mittuntur in Quadragesima, tam quoad litteraturam, seu habilitatem concionandi, quam quoad mores, tenentur veritatem sincerè aperire.
- 16 Interrogati ab Episcopo de vita, & moribus concurrentium ad beneficia, tenentur vitia etiam occulta prodere sub mortali, dummodo ea noverint extra Sacramentum confessionis.
- 17 Ita interrogati ab Examinatoribus, tenentur similiter veritatem aperire.
- 18 Episcopo visitanti, tenentur interrogati prodere vitia, & defectus Parochorum, etiam sub mortali.
- 19 Limita, si Parochus esset emendatus, vel esset spes certa emendationis proxima.
- 20 Negligens obedire edictis Inquisitorum, non denuntiando, peccat mortaliter.
- 21 Negligens denuntiare detentorem rerum, de quibus relaxantur monitoria ab Episcopo, sub excommunicatione, peccat mortaliter.
- 22 Examinantur excusationes circa prædictas obligationes.
- 23 An re elanda quæ sub secreto naturali novit.
- 24 Cum distinctione resolvitur, si agatur ad poenam, non tenetur, si ad paternam correctionem, tenetur.
- 25 Et in hoc casu, etiam si cum Juramento promisit non revelare.
- 26 Quali fundamento, Ecclesia potuit irritare matrimonia, quæ aliter Jure naturæ erant valida.
- 27 Juramentum non obligat in præjudicium veritatis, si agatur ad salutem animarum.
- 28 Idem habet locum, etiam si revelans timeat sibi malum subsequendum.
- 29 Qui potest liberare innocentem à gravi damno, & negligit, peccat.
- 30 Tenetur revelare, etiam si non præcesserint indicia, quando non agitur ad poenam.
- 31 Revelans vitia secreta, in hoc casu non detrahit formaliter.
- 32 Testis non potest uti verbis Amphibologicis consistentibus in restrictione mentali.
- 33 Debet prudenter respondere, & certa tamquam certa, dubia verò tamquam dubia referre.
- 34 Limita in secretis Principum, & Reipublicæ, quæ nunquam sunt prodenda.
- 35 Qualiter non timendum, quod testis veritatem aperiens, publicetur in sui damnum, & ignominiam.

ARTICULUS XXXVIII.

De Negligentia Testium.



Estes alij sunt Judiciales, idest in Judicio examinati, alij extrajudiciales, interrogati scilicet extra Judicium, nullo juris ordine servato, & de utroque genere vi-

dendum est, qualiter negligentia culpentur.

- 1 Testes prædicti, duplici modo possunt negligentia culpam incurrere, ad notata, per Turrecrem. in c. Episcopi si Sacerdotali nu. 6. xi. q. 3.

- xi. q. 3. Primò, quia recusant testimonium dicere, & ad hoc fugiunt, & se occultant. Secundò, quia comparent quidem vocati, sed tacent veritatem, putà respondendo interroganti verbis amphibologicis, vel obscuris, versutè, & dolosè, & ad hoc possent prætexere bonum finem, putà ne Proximo, de quo interrogantur, damnum inferant, ejusdem famæ ne detrahant, vel ne sibi præjudicent, vel damnum sibi futurum metuant, vel quia ea, quæ exquiruntur, norunt sub secreto naturali, & in his omnibus casibus quærendum est, an omittens veritatem dicere peccet, & negligentia culpetur.
- 2 Prænotandum verò est, quod gravius delictum est in utroque foro falsum positivè dicere, quam veritatem tacere ad notata per Fagnan. in c. quo circa nu. 5. de consanguin. & affn., sicuti magis vitiat obrepitio, quæ committitur narrando falsum, quam subreptio, quæ committitur tacendo veritatem, licet utrumque vitiet rescriptum, Marchesan. de commissionibus relaxandi Juramentum ad effectum agendi p. 3. §. 3. nu. 79. Utrumque tamen delictum est, & differunt solum secundum magis, & minus, his Prænotatis.
- 3 Testis qui fugit, & se absentat, ne interrogetur, & veritatem cogatur dicere, negligentia culpam incurrat, quoties, vel ex justitia, vel ex charitate tenetur testimonium ferre, ut contingit, quando potest proximo, deponendo veritatem, prodesse, & fugiendo recusat, ut notavit D. Augustinus relatus in c. Falsidicus de crim. falsi, ubi dicitur, quod Reus est, qui mendacium, & falsum dicit, ac qui veritatem tacet; non tamen potest dici, quod fugiens examen falsum dicat, ac propterea, Farinac. q. crimi. 67. nu. 234. dicit, quod testis, qui se occultat, & non vult comparere ad testimonium dicendum, non punitur de falso, sed poena de crimine Stellationatus, & hoc si agatur criminaliter, quia si ageretur civiliter, tenetur ad damna, & interesse, quando tenebatur ex justitia commutativa testificari; secus si ex sola charitate, ut diximus de obligatione restituendi, quæ oritur ex negligentia, & notat Sanchez in opusc. lib. 6. c. 5. dub. 2. & 3., & si dicatur, quod testis judicialiter interrogatus, ex legum dispositione teneatur

respondere, & veritatem dicere, & consequenter ex justitia, & non tantum ex charitate; solutio in promptu est, quod tunc teneatur ex justitia legali, non verò commutativa, quæ sola obligat ad restitutionem D. Thom. 2. 2. q. 62., Justitia n. legalis, obligat solum ad obediendum Superiori ad allegata per Dianam p. 3. tract. 5. resol. 54. Vers. Notandum est etiam.

- 4 Testis autem, qui comparuit, & coram Judice, vel Notario, juravit dicere veritatem, quam postea tacuit, sicque neglexit juramentum implere, peccat primò peccato perjurii deinde, incurrat culpam negligentia, tacendo, quod aperire tenebatur, & puniri potest, tamquam falsus, tex. est in c. 1. in secunda parte de crim. falsi, concordat tex. in l. Præbiteri, C. de Episcopis, & Cleric., ubi Bartol., & Bald., & ferè communiter repetentes, Barbosa in dicto c. p. n. 6. de crim. falsi, ad quod plura allegat Jafson. in l. prescriptione à nu. 4., & seqq. C. Si contra Jus, vel utilitatem publ., Mascard. de prob. lib. 1. q. 5. nu. 70., & seqq., & lib. 2. q. 743. nu. 12.
- 5 Et si quæras, quam poenam mereantur testes prædicti, scilicet, & ille, qui neglexit comparere, & testificari, & qui comparuit, sed veritatem tacuit; dico quod solent in præcepto, quo vocantur testes ad examen, apponi poena, & ea servanda est; vel dicitur, quod si non comparverit, singulo die multabitur in tot &c. donec tadio affectus compareat &c. vel puniri poterit poena arbitraria, si neque in præcepto, neque Jure municipali Statuta inveniatur, neque consuetudine taxata, ad notata per Vivium opin. com. p. 3. opin. 910., Menoch. de arbitr. Judic. lib. 2. casu 310. nu. 14., Farinac. praxi q. 67. nu. 220., & 228., ubi num. 231. de teste comparente, sed veritatem tacente, quod puniatur poena falsi, quando versutè, dolosè, scilicet veritatem supprimit, & dicere negligit, & idem Farinac. q. 150. nu. 75.
- 6 Tanto magis puniendus erit Testis, qui interrogatus de aliquo facto, respondeat se nescire, dum revera sciat factum, quia tunc falsum positivè dicit Farinac. dicta q. 67. nu. 227., si verò solum veritatem taceat, dicitur testis fraudulentus à Sabyceto in l. nullum in fine nu. 2. C. de testibus.
- 7 Supponunt tamen prædicta omnia, quod

testis legitime interrogetur, & ab habente jurisdictionem, ac servatis de Jure servandis, quia si non legitime interrogetur, nec ab habente Jurisdictionem; ut si Clericus interrogaretur à Judice Laico, tunc cum non teneatur respondere, sicuti Christus Præsidi interroganti, non respondit, non potest dici negligens, ex regula data in prima parte de negligentia, quod negligens non est, qui omittit id, quod non tenetur facere, aut dicere.

8 Testis extrajudicialiter interrogatus à non habente jurisdictionem, sic extrajudicialiter interroganti, tacendo veritatem, similiter non dicitur negligens, ex eodem principio, unde nullam culpam incurrit; dummodo non dicat se nescire, quod revera sciat, quia tunc mendatium diceret, quod omnino peccatum est, nec relevabitur æquivocatione, & restrictione mentali; puta (nescio, ut dicam tibi) quia Sententia admittens tales mentales restrictiones, damnata fuit, tamquam falsa, & scandalosa; aliud enim est tacere, & se habere merè negativè, & aliud mentiri, & in hoc sensu intelligendi sunt, *tex. in c. ne quis* 22. q. 2, & *c. in mandatis distinc. 43.*, ubi, quod numquam liceat dicere mendatium, liceat verò quandoque veritatem tacere.

9 Si verò Testis extrajudicialiter interrogetur à Superiore, qui non fungendo officio Judicis, nec ad effectum infligendi pœnam pro delicto, (in quo casu Superior non potest interrogare, nisi judicialiter, & servato Juris ordine) sed ad effectum, ut sciat qualiter pro bono regimine possit de suis actionibus rectè disponere, & prudenter, ac utiliter, pro Subditis procedere; tunc interrogatus tenetur veritatem, quam novit, fideliter, & sincerè aperire, aliàs culpam negligentiae incurreret, *ad tex. in c. Quisquis* xi. q. 3, ubi *Barbosa*, & *Turrecrem. nu. 2.*, *Covarr. lib. 1. variar. ressol. cap. 2. n. 3. Vers. Cæterum, Tiraquell. de pœnis tempor. causa* 44. nu. 15., & 16., *Bald. in l. data operan. 20. C. qui actus non poss.*, *Fagnan. in c. tua nobis nu. 46. de testam.*, & in terminis *Lezana summa p. 1. c. 27. nu. 10.*, *Suarez tom. 4. de relig. lib. 10. c. 12. nu. 15.*, quia licet interrogetur nullo juris ordine servato, nec dellato sibi juramento, tamen adhuc habet rationem testis, & cogitur veritatem dicere, juxta interrogata, *Felin. in c. p. nu.*

3. 4. 6. *de test. cog.*, & *est bon. rex. in c. bis qua de maior.*, & *obed.*, ubi quod Subditi tenentur præstare Superiori manualè obedientiam, observande verbum illud (*Manualem*), quod explicat *glos. in V. obedientiam*, idest *sine Scriptura*, & *sine juramento*, & sic extrajudicialiter, *Fagnan. ibid. nu. 4* & *Barbosa sub nu. 3.*, & latius *in c. si autem in c. absit* 11. q. 3.

10 Undè negligens obedire Superiori sic interroganti, gravius mereretur puniri, quam si negligeret Sacris Canonibus obtemperare, ad traddita *per glos. in c. dolentes*, in *V. divinum in fine de celebrat. Missar.*, & consequenter magis culpatur.

11 Ratio autem cur Subditi sic extrajudicialiter interrogati, teneantur respondere veritatem, est, quia Superior indiget noscere defectus, qualitates, idoneitatem, virtutes, & vitia Subditorum, tamquam medium necessarium, pro bono regimine, & ut possit prudenter distribuere officia, dignitates, beneficia, ac benè merentes, præmiis cumulare, ne ex errore, & defectu talis cognitionis, immeritis conferendo, vitia foveret, & Subditorum utilitati non confuleret.

12 Idèd *in c. cum nobis de elect.*, ubi *Barbosa num. 7.* notat, quod Judex Ecclesiasticus tenetur inquirere de qualitate, & idoneitate personæ eligendæ, ordinandæ, confirmandæ, & *ex Trid. Sess. 24. c. 18. de reform.*, tenetur Episcopus ad beneficia curata, digniorem eligere, quod non poterit facere, nisi suppositis informationibus, & quidem extrajudicialiter, cum nimis onerosum esset, si semper teneretur judicialiter procedere formando processus; consequenter in Subditis debet esse obligatio obediendi, & respondendi Episcopo interroganti extrajudicialiter, & veritatem sincere aperiendi, alioquin impossibile esset Episcopo suum munus, & Concilii decreta implere, & tanta esset obligatio Subditorum obediendi, ut dari nequeat casus, quo Subditi præscribant obedientiam contra Superiorem, *tex. apertus in c. cum non liceat*, ubi *Barbosa*, & *cæteri D. D. de præscript.*, Superior enim est caput mysticum, Subditi membra in rep., tamquam in corpore mystico, & sicuti pro bono regimine in corpore humano membra capiti ita subduntur, ut semper obediunt; ita debent Subdi.

Subditi pro bono regimine rei publicæ, semper etiam extrajudicialiter obedire, aliàs bonum commune reipublicæ, de facili periclitaretur.

13 Ex quibus sequitur primò, quod, si Episcopus interrogaret Subditos, maximè Clericali, & Sacerdotali ordine insignitos, circa qualitates, vitia, & virtutes suorum Subditorum, non ut pœnas inferat, sed pro bono regimine, & Subditorum salute procuranda, illi tenentur sincerè veritatem sibi cognitam apperire, aliter peccant, ut notavit *glos. in c. sit Rector* 43. *distinc. in V. plus tacet*, & peccatum poterit pertingere ad mortale, si agatur de re gravi, & valdè necessaria pro bono regimine, & colligitur ex gravitate pœnæ, quam posset Episcopus infligere interrogato tacenti, & recusanti obedire, quæ est excommunicatio, *c. Si autem c. Absit* 11. q. 3., *c. quidam* 18. q. 2., *c. hæc consona* 25. q. 1., *c. Nulli fas ad finem dist.* 19.

14 Constat enim, quod Episcopus pro bono regimine habet jus inquirendi, de Subditis, & quidem à verisimiliter informatis, quia hoc prudentia dicitur; igitur, & interrogati tenentur respondere, aliàs peccabunt *ad tex. in c. 2. de maiorit.*, & *obedient. c. qui resistit* xi. q. 3., *Fagnan. in c. Falsidicus num. 11.*, & 12. *de crim. falsi*, quod ex specialis obligatione verificatur in Sacerdotibus, qui in Sacra ordinatione promittunt suo Episcopo obedientiam *ex Decreto Concilii Toletani relato in c. quamquam dist.* 23.

15 Sequitur secundò, quod Episcopo interroganti Parochos Diæcesanos, qualiter se gerant, aut gesserint Regulares, aliq; Concionatores à se missi in Quadragesima ad habendas contiones in Parochialibus Ecclesiis, tenentur Parochi omnino habilitatem eorundem Concionatorum referre, virtutes, & vitia, quæ de eis noverint, extra tamen Sacramentalem confessionem, quia de cognitis in Sacramento confessionis, nemo est in terris, qui valeat interrogare; dum Concionatores missi suppleant munus Episcopi, & Parochi, verbo Dei pascunt Oves, docendo, & explicando mysteria divina, articulos fidei, & quæ faciunt ad morum directiones; Undè onus Episcopale est, scire qualitates, habilitatem, virtutem, & vitia eorum, quos mittit, ne per errorem, loco pascentis, mittat corrumpen-

tem verbo, aut exemplo, vel hoc prove-niat ex ignorantia, aut ex malitia, vel etiam ex naturalibus defectibus, propter hoc *D. Paulus ad Thimoteum*, & *Titum* in Episcopo requirit prudentiam, sollicitudinem, vigilantiam, & alia hujusmodi.

16 Sequitur tertio, quod in concursu ad Parochialia, ut possit eligere magis idoneum, Episcopus habet jus inquirendi, non solum de scientia concurrentium, sed etiam de moribus, & cæteris qualitatibus, ex quarum cognitione, possit prudenter eligere magis idoneum, *ut decretum est in Trid. Sess. 24. cap. 18. de reform.*, & consequenter interrogati ab Episcopo, circa hujusmodi qualitates, tenentur veritatem omnino procedere, etiam occultam, aliàs tacendo peccant mortaliter, quia agitur de re gravi; si enim Episcopus ignoret qualitates singulorum concurrentium, periculum est, ut eligat Lupum loco Pastoris, & oves non pascantur, sed fame pereant; ubi enim agitur de damno, & præjudicio boni communis, seu plurium, maximè animarum, major circumspèctio, major prudentia, major virtus, major dexteritas, in electo requiritur, & major diligentia, ac prudentia in eligente.

17 Sequitur quarto, ex eodem fundamento, quod cum examinatores in concursu teneantur suffragium ferre, non solum quoad litterarum cognitionem, sed etiam quoad mores, & aliàs qualitates, quæ reddunt magis, vel minus idoneum, debent inquirere de concurrentium qualitatibus, & consequenter interrogati ab eis tenentur veritatem aperire, aliter culpantur de negligentia, & omissione mortali, si taceant veritatem.

18 Sequitur quinto, quod Episcopo visitanti, & interroganti Massarios Villarum, vel alios de qualitatibus Parochorum, aliorumque Ecclesiasticorum, teneantur, qui fuerunt interrogati, non tacere veritatem, aliter peccarent mortaliter, si vitia Parochi sint relevantia, & magni detrimenti, communi animarum salutis; venialiter verò si vitia sint levia.

19 Limita tamen, si aut fuissent emendata, aut spes certa esset subsequituræ emendationis; si verò spes non esset certa, vel emendatio non esset proxima, tunc teneantur non tacere, quia adhuc vigeret periculum